

G. H. 154, 28.

X 136 23 10

II n
951

DISSERTAT. HISTORIC.
PRIMAM II. & III.

De

IDOLIS SLAVORUM,

PRÆSIDE,
M. JOHAN. PETRO
LUDTWIGIO,

Hala - Svevo,

exp onet

MICHAEL Srenkel/

Budissa - Lusatus,

D. 30. Maji,

An. 1791


Horis antemeridianis,

In Auditorio locoque consueto.



WITTEBERGÆ,

Typis MARTINI SCHULTZII.



DISSERTATION HISTORIC

FRANCOIS

DE

INDOLES

SEYDOLIA

PARIS

M. JOHANNES

LUDWIG

MICHAEL

FRANCOIS

DE

FRANCOIS

FRANCOIS

FRANCOIS

FRANCOIS

FRANCOIS

FRANCOIS



ign
pr
&

and
gat
pris
No
nor
cur
dos
res
vo
M
tel
ru
fa
re
m
ta
se
id
a
y
re





Cum DEO!

§. I.

Impia Slavorum antiquissimæ
gentis numina expositurus, quid de illorum
opinione, quæ omnem Deorum cultum
ignorasse Slavos olim & respuisse, judicem, dicendum
prius, & explicandum est. Stultius fere nihil hac re
& absolum magis esse potest. Ipsa quippe origo (a)

A 2

illo-

(a) De origine Gentis non unæ sunt auctorum sententiæ. Quæ res investigatu eò difficilior, quo minus scriptis antiquis prodita est & celebrata. Non quidem cum Crantio, aliisque non sublestæ fidei Scriptoribus dixerim cum Vandalis, hoc est, Germanis Venedos seu Slavos omnium literarum expertes fuisse: hoc enim semper in dubium vocavi & ante me vocavit Clarissimus Morhovius, in dem Unterrichts von der teutschen Sprache p 65. Carminû antiquorum, antiquissimi generis scribendi quibus facta Heroum celebrarent, quæ Tacitus recenset de M. G. cap. 3. v. 2. pag 65. memores. At vero negligentiam in annotando, seu potius in custodiendis illis, quæ scripserant non possum non dolere. Sive id factum sit, quod majores gloriam in factis magis, quam verbis quæsierint, sive quod hanc scribendi rationem molliorem esse, quam ut virum deceret, crediderint fortitudinis, & bellorum amatores, nunc non disputo. Fecit vero hæc incuria natales eorum adeò obscuras, ut multi de illis solliciti fuerint, pauci in opere satis felices. Plures difficultatem hujus rei sustulisse, & explicasse videri volunt, eo quod intricatam reddiderint. Non sufficit Scytharum antiquissimi populi filios dicere, atque sic ignorantia suæ medelam velut in lumbis Adami quærerere, illa enim gentium vagina, & ignavia asylum jam ante explosum est. Placet sententia Præceptoris mei, in dissertatione de rebus Slavicis jam olim in juventute habita, quæ à Riphateis Wendos, seu Slavos ortos esse confirmat, Sarmatiamque, amplissimum terræ tractum, in Asiam usque coluisse, ex optimis autoribus Ptolomeo, aliisque comprobat. Conf. Chytræus in continuatione Crantii pag. 3. edit. 1586. Witteberg. Fol. & ipse Crantius in Vandalia sua variis in locis.

illorum quancunque etiam auctores comminiscantur revellit eandem, eidemque manifeste repugnat. Quam feram enim Barbaram gentem, & effrenatam depingunt scriptores, à moribus tamen, vitæque integritate & simplicitate insignem fuisse, & commendatam dissimulare non possunt. Adeoque illam, quam Tacitus olim Germanis, & majoribus nostris dedit, singuli fere merentur laudem: quod plus apud illos boni mores effecerint, quam apud alios, bonæ leges. (b) Tanta enim illis suæ religionis observatio erat, ut, licet ab omni propemodum humanitate, & sapientiæ artibus remoti erant & alieni, ad servitutemque difficiles (c) ad cultum tamen divinum quæ pertinere videbantur, promoverent strenuè, ac observarent: & qui Regum suorum potestate & potentia gubernari vix poterant, sacri ordinis auctoritati cæca quadam pietate libenter obtemperabant. (d) Quare, vel à solis majoribus suis

(b) Hanc virtutis gloriam Germanis & pluribus aliis, quos Barbaros dicebant Romani & Græci, denegare & suppressere eandem non possunt. Unus id ex multis in Germanos alias iniquis Scriptoribus præstat. I. Cæsar de Bell. Gal. Lib. 6. pag. 135. edit. Lugd. 1573. Taciti vero verba habentur in Lib. de M. G. ex quo Saavedra in Symbolis politicis pag. 648. Symb. 81. edit. Colon. 1649. Neuhusius in Theat. Ingenii Humani Lib. 1. cap. 13. pag. 243. edit. Amstelod. 1664. Schedius de Dis. Germ. Syngiam 2. cap. 13. pag. 291. aliique transcripserunt.

(c) Utrum libertatem, an licentiam amaverint Slavi nescio: hoc scio, servitu-

tis impatientes fuisse. Testatur id Helmodus in Chron. Slav. pag. 2. v. 5. edit. 1659. Heinrici Bangerti. Ita vero ille: sunt *in accessu paludibus, & nullum inter se Dominum pati solunt.* Hinc regulorum suorum potestas tempore pacis admodum exigua erat, belli vero temporibus globo militum veluti Dux & Imperator Rex illorum præerat.

(d) Commune id omnium societatum vinculum est legibus enim in partibus, & obsequio retinetur multitudo, auctoritatem vero illæ & valorem à religione accipiunt. Hinc Romulus apud Livium Lib. 1. pag. 4. edit. Wechelanzæ 1538. Fol. rebus divinis rite perpetratis, vocata ad

fuis venerandos esse Deos, & religiose colendos scire poterant (e) Slavi.

§. 2. At naturam suam quis ita exuere potest, & illā, quā homo est, rationem adeo extinguere? ut à communi omnium mortalium sententia quod Numen aliquod singulorum moderator existat, & cultum ab hominibus religiosum exigat, ita discedat, ne revertendum quidem esse, & ad frugem redeundum ipsa conscientia, & natura jubente, existimet. Vere non minus

A 3

quam

concilium multitudine quæ coalescere in populi unius corpus nulla re præterquam legibus & religione poterat, jura dedit. In stuporem usque trahunt lectorem Helmoldi, Ditmari, Johann. Dubravii & aliorum, qui de his scripserunt, de Slavorum eruentis & severis Idolorum suorum cultibus, testimonia. Illos enim quos commercium quoddam cum Diis aut familiaritatem cum Dæmonibus, quos magis venerati sunt, habere existimabant, timuerunt maxime, & venerati sunt, vitamque profundere & corpora sua negligere, volentibus iis non dubitarunt. Neque alia tot Episcopatum in veteri Saxonia à Carolo, & successoribus constitutorum, ratio dari facile, & afferri potest, quam, ut majestas Caroli, qui toties victoriae laurum è Saxonia repotarat, rarius Dominator eorum fuerat, à Superis confirmata plebi diceretur. Id quod Eginhardus in vita Caroli M. de Bello Saxon. pag. 10. edit. Lips. 1616. ex eoque Helmoldus pag. 12 & innumeri alii prolixius, & copiosius exequuntur.

(e) Nemo sibi persuadeat posteros Noachi eo tempore, quo oras has, & regiones incolere, à veri Dei agnitione &

cultu descivisse statim, & deflexisse. Tangere enim diu posteros Parentum suorum, & sacri cultus memoria. At in diversas regiones distracti, bellis & victoriis se delectantes, verum Dei cultum neglexerunt, & regionibus ampliandis studentes heroes & duces suos in prælio creptos, tanquam indigetes Dei & nuntios venerati sunt innumerumque Deorum tandem illos aspicere. Post à Creatore, & illis qui Deorum loco erant, tanquam Numinibus minus conspicuis, in res obvias magis, & cognitatas delapsi, Solem, Lunam & quæ sunt generis ejusdem, in hominem ut putabant benigniores in Deorum numerum adoptarunt, tandemque verum Deum amiserunt. Quæ prolixè *Schedius in Dedicatone Libri jam laudati Eliæ, filii sui morte vix annos 26. nati in conatu maximarum rerum præventi pag. XVII. declarat, à quo tamen hic dissentienti necessitas fuit. Eleganter compendii Gothani Auctor ex Thom. Aquin. pag. 24. Accidit istis sicut alicui eunti ad regiam principis, qui, solens videre principem quoscunque bene indutos ipsum Principem esse existimat.*

quam prudenter ait Tullius: nulla gens tam fera, nemo omnium tam est immanis, cujus mentē non imbuerit religio (f). Quid enim sit Deum dissimulare, & ad tempus numen non agnoscere unde proveniat, Grotius in libro de veritate religionis Christianæ docet, à pravoq; ingenio eorum maxime, quorum interfit, ne quis sit Deus, id est, humanarum actionum iudex, & scelerum vindex acerrimus, venire hanc, à tam recepta antiquitus sententia diceffionem, non sine gravitate admonet. Impietas ergo & animi scelerata libido Numinis existentiam impugnare audet. Non quod propugnari sententiam posse existiment scelesti mortales; Sed ne impediri, quominus voluptatibus suis inhærent, & cohiberi malitia illorum possit, de summo iustissimoque Iudice tam abjecte sentiunt (g). Tandem vero, ipso quem impugnaverunt, volente sic accidit, ut lumine rectæ quoque rationis obfuscatō, quo meritas malitiæ suæ poenas darent, in errore semel amplexo perseverent. Id quod gravioribus argumentis ad propulsandas adversariorum sententias demonstrare-

(f) Dignissima philosopho verba quæ apud Ethnicos complura, præsertim *Platonem, Aristotelem & ipsum Cicero- nem de natura Deorum, somnio Scipionis,* & alibi extant, quæ si legerent nostri homines tam blasphemæ in Deum suum vix essent. Multum enim ad id conferunt, ut quanta cura à philosophis Deus quæsitus fuerit, & quod aliter sentientes derisi & explosi à sapientioribus fuerint con-

stet. Quod Grotius in Libro de veritate religionis Christianæ l. 1. p. 20 edit. Paris. 1659. fol. feliciter monstravit.

(g) Non aliud quibus stultitiam suam regerent, aut speciose saltem celarent a-thei medium habent, evidentius scelus esset si contra Superos peccarent, & mandata iudicis agniti violarent, & voluptate damnosa ad tempus fruerentur, poenarum infernalium conscii.

straremus, nisi luculentiora argumenta, quibus Sorabos Deos habuisse, & coluisse stabiliremus, historia nobis suppeditaret.

§. 3. Equidem si omnes quos unquam Sorabi, Slavi, Venedi & qui sunt generis ejusdem Deos venerati sunt, exponere animus esset, & recensere: In difficili negotio, & perobsuro versarer. Quippe antequam populus hic in interiores Germaniæ fines migravit, eorumque sedes, & terras occupavit, religionemque Christianam admisit, parum admodum de illis, eorumque Diis & Idolis, literis proditum erat (b). Quare antiquioribus illis temporibus relictis, ad recentiora progredimur, Deos Slavorum à fatali illa omnium gentium migratione, qua & Slavi alienas terras, apta occasione a Germanis, vicinis suis invitati, conglobatis viribus quærebant, numerantes. (i) Quo tempore Vandali quibus-

(h) Non possibile id esse Crantius, in his versatissimus, Vandaliæ suæ mox ab initio ait. Causam rei addens, quod omnia veterum Vandalorum, & Venedorum monumenta taceant. Quæ enim de primordiis regnorum tradunt Monachi sæpius nugæ sunt & fabulis ita commixta, ut vix verum à falso discernere possis.

(i) Quietis impatiens populus, Vandali erant, & ad arma strenuus, contra Imperatores in Oriente & Occidente regnantes, in surgentibus & militantibus se adjunxerunt, fortiterque in belli societatem ab aliis asciti, contra hostem pugnarunt. Quod cum Sec. V. iterum atque iterum factum ab illis esset, & res in alienis terris feliciter, & prospere eveniret, suas

terras migrationibus vacuas reddiderunt, à multitudineque incolarum desertas. Fertilitate loci & terræ fecunditate invitati sunt à Vandalis in Pomerania, Polonia, Silesia, Lusatia, Saxonia & Bohemia degentibus Venedi seu Slavi per Russiam, Livoniam, Lithuaniam, usque ad Sinum Finnicum diffusi. Quare hi sedibus suis relictis Vandalorum ingressi, cum superstitionibus Vandalis se conjunxerunt, habitumque eorum, & regionis consuetudines in plurimis amplexi sunt rebus, ubi diu post manserunt vixeruntque. Vid. de hac re Helmoldus & quos cum eo confert in notis Bangertus pag. 10. qui vel centum hujus migrationis scriptores adducit. Ad datur quem & ille habet Crantius in dicta

quibusdam scriptoribus audivere. Qui, dummodo recte explicentur, non castigandi propterea, à recentioribus, & ignorantia accusandi sunt. (1) Unus enim quo sensu id dicatur Chytræus exponit: qui tamen à quibusdam recentioribus non satis circumspicte taxatur. Veneramur magni & accuratissimi Historici sententiam, qui, in sua quam de rebus Slavicis scripsit dissertatione errorem scriptorum quorundam, qui hæc nomina sine ratione confundunt, jure meritoque reprehendit: at illorum exprobramus opinionem, qui salvam summi, & accuratissimi Historici sententiam, in suas partes inepte trahunt, & nulla ratione Vandalarum nomen Venedos seu Slavos mereri clamitant. Ipse enim modo laudatus à nobis Chytræus Vandalos adeò improprie dici Venedos, quam à Germanis Scythia dicatur, aut ut ipse ait; sicut post migrationem Bojorum ex Bohemia in Bavariam, nihilominus novi incolæ Zechi, seu Slavi veterum incolarum nomen retinent.

Vandalia, Lib. 1. capitibus diversis, & inter recentiores Clariss. Schurzfleischius de rebus Slav. & ipse Venerandus Parens meus in scripto Slavo - Germanicè nuper de Baptismo Budissæ 1688. evulgato.

(1) Primus qui Vandalarum nomen cum Venedorum confundit inter recentiores Crantius in Vandalia videtur, quam & ipsa veterum Chronica discrimen hoc, non adeò observant. Id quod animadvertit Chytræus in Continuatione Crantii pag. 3. 4. &c. Bangertus pag. 10. in Helmoldum. Crantium vero non excusarem, nisi & Chytræus, qui nihil erroris

hic admisit, aut convinci alicujus potest, explicaret Crantium & quo modo id dici queat, aperiret. Sonum quidem vocis, quem Chytræus addit, inter Wendos & Wandalos ad nomina confundenda non sufficere, fateor, sed quodà loco pristinorum incolarum, capit argumentum, improbare non possum. Cui robur accedit, si ipsius Bangerti de hac re expositio legatur, qua multos Wandalos in Vandalia à Venedis jam occupata, hæsisse, & permansisse, in unamque rempublicam cum Venedis coivisse & coaluisse, aperte docet.



tinent. Quo ergo jure Venedi Bohemi, eodem etiam Vandali dici possunt & appellari.

§. 4. Hunc populum Deos coluisse, consensus omnium scriptorum communis confirmat, & comprobatur. Qui quidem tanta sunt in varietate, ac dissensione constituti, ut omnes eorum, hac de re, sententias enumerare prolixum non minus, quam molestum sit. Nam & de figuris Deorum, & de locis, atque sedibus, & actione vitæ, & cultu, multa dicuntur, in quo tamen non omnes conveniunt, sed summa dissensione inter se certant, & digladiantur. Quod vero maxime rem causamque attinet, Slavi uno & generali vocabulo **Boh** Deos suos insignivere. Cujus tituli tanta in Lingua sua auctoritas & potestas est, ut Idololum vix sustinere eundem & promereri possit. Unum enim nulloque dependentem Deum, quem Græci eadem felicitate *αὐταυτοῦ* pronunciant, denotat illis, atque designat. Soraborum vero seu Slavorum **Boh**, Bohemi **Buh**, Poloni **Bog** gravitate non minori effantur. Singulis enim tantum, ac Hebreis **יהוה**, hoc est, Numen nulli mutationi obnoxium vicissitudinique, quod idem fuit, est, & erit. (m) Id quod accuratius, & luculentius Slavica Lingua, & indoles ejus docet.

B

§. 5.

(m) Placet Etymon hujus vocabuli ex ipsis Slavonicæ linguæ fontibus promerere, lectoremque de hac re facere certiore. Est enim hujus vocis radix prima **Сун** à quo imperfectum **ja buch** quod facit in tertia ejusdem temporis **by** **Bishe** vel **buh**, quod cum nostro **Boh** literis inter se facile mutandis, unum

idemque significat. Cæterum, & **Buh** in veterum monumentis legitur, ut **Belbuh** Deus albus, **Zutterbuh** &c. de quibus Schedius cap. ult. videatur. Consensum aliarum quoque linguarum in nominibus divinis fatalemque harmoniam ostendit idem Schedius Syngram. ll. c. 13. pag. 295. 296. 297. seqq.

§. 5. Pulcherrimum vero hoc, quod Idola sua venerabantur nomen, à majoribus relictum, admonere illos officii erga superos, & venerationis facile potuit. Equidē, si recte judico, vocē *Boh* solam à veteribus rarius adhibitam, usurpatamq; fuisse, existimo, licet nostris Sorabis seu uti nunc audiunt *Wendis*, id adeo inusitatū non est. Vix enim veteribus illa nisi cum peculiari nomine Idoli conjuncta, innotuit. Sic, *Bogislaw* (n) *Berniboh*, *Zutterboh* (o) apud auctores, Saxo-nem Grammaticum imprimis, Helmoldum aliosque legimus, solum *Boh* vel *Bog* remotis nominibus aliis, vix legimus. Causam hujus rei rationemque si investigo, duplex ea videtur: altera, quia non iis doctrinae praesidiis, & sapientiae artibus exculti erant Slavi, ut, cum Romanorum, & Graecorum sapientibus, inanem divini cultus speciem viderint, & Deū alium Idolis longe majorem esse, crediderint. Sed nullum Idolis aliud Numen concipiebant, ac quod ante oculos erat, crassoque animo faciebat satis (p). Altera vero, quod

(n) *Berniboh* opponitur *Belbush*, illum enim album Deum, hunc nigrum dicunt *Wendi*. Quod tamen proximae dissertationi reservabimus.

(o) *Zutterboh* quid denotet, & significet, disputant Linguae Slavonicae ignari. Fabulam *Schedius* de *jutta* tangit, at non absolvit. vid. p. ult. Alii bonum Deum eadem falsitate interpretantur. Illud absurdum est, hoc cum origine vocis non convenit. *Zutt* enim non Germanorum gutt est, sed Slavorum *jutr* quod auroram, solis, quem venerabantur Slavi, nuntium, & praekonim, denotat, nisi enim hoc esset,

ex diversis Linguis vocem constare diceremus, quod aperta rei veritate opus non est.

(p) Inanis Idololatriae species Philosophis Ethnicis cognita satis fuit, atque perspecta. Quare aliud, ut Cicero ait, Deorum Numen quærentes, impii saepe in Deos suos plebi, & inferioris sortis hominibus visi sunt. Libere enim de illis, & majestate eorundem, accerrimeque disputarunt. Quod blasphemum fuisset, & Philosophis, ac sapientibus indignum, si Idololatriam suorum & vanitatem non præsciissent. Neque tamen id plebi aperiendum erat, quæ aliter compesci, &

quod tanta apud illos Deorum copia fuerint ut vix ul-
la regio extiterit, quæ à peculiari quodam Idolo, seu
genio non tueretur (q). Quare de alio quodam & uno
Deo quaerere minus illis necessarium erat.

§. 6. Quamquam id quoque diffiteri non possu-
mus Helmoldum, ex eoque Joh. Dubravium hujus rei
gravissimos scriptores non in unam, eandemque super-
stitionis consuetudinem consentientes Slavos, sub di-
versis Numinibus principem quendam Deum & Reg-
natorem agnovisse, scriptis suis prodidisse. Verum nec ille
peculiari nomine carebat, quod in altera dissertatione
patebit. Nullum ergo adhucdum ipsis locum, quo Ido-
latriam agnoscerent, sollicitiq; de supremo quodam Nu-
mine essent, locum fuisse evinci potest. B 2 §. 7.

à malitia, sceleribusque arceri non pote-
rat. Poetæ tamen & Oratores ita liberales
cum Deorum nominibus, & honore e-
rant ut ea non solum Mecenatibus suis
darent, sed quandoque ipsos superos illis
post haberent. Incidi nuper in *Claudia-
ni* carmina: Admiratus profecto sum,
Poetæ aliàs, intra alias laudes, ad doctri-
nam pertinentes, pii, modesti, & prope di-
xerim aliquando Christiani, in adhibendis
Numinibus & cum Principibus consuli-
busque conjungendis licentiam. Ethni-
cum enim & religioni quam in carmini-
bus profiteretur addictum fuisse, contra a-
lios, & *Cl. Barthium*, jam evicerunt eru-
diti. Hic in Manlii Theodori Consula-
tum, Carmine Panegyrico, celebratum,
inter alia ita canit:

Jupiter, ut perhibent, spacium cum dis-
cere vellet

Naturæ, regni nescius ipse sui.

pag. 4. edit. Francofurt. 1650. in 4t. u-
bi conferatur *Casp. Barthii* in optimis lo-

cupletisq; in Poetâ notis, nisi in signe
hoc opus negligentia typographi defor-
masset turpiter, & perdidisset, pag. 65. Dice-
re possemus de aliis, sed res magis est ob-
via, quam ut expositione nostra ei opus sit.
(q) Cum Deorum majestas in homi-
nes virtutibus & actionibus insignes &
præ aliis conspicuos post mortem transi-
isset: ita numerus Deorum auctus, & lo-
cupletatus est, ut multitudine sua tandè la-
boraverit. Romanorum Deos extendunt
Scriptores usque ad 30000. *bid. Schadius*
in Fresat. Libri de Djs. Germ. sæpius lau-
dati pag. 2. Non cessisse Romanis Slavos
in numero, dummodo ea diligentia anno-
tassent, qua devotione coluerunt, videmus
in antiquis Chronicorum Scriptoribus
quorum plures collegerunt illi, atque an-
notarunt. Non spernendam Idolorum
multitudinem vel solus Helmoldus suppe-
ditat in *Chron. Slav.* cap. 52. pag. 125. seqq.
& quos ex Chronicis, MSC citat *Bangerius*
in h. 1. *Ditmarus* in *Chron.* suo Lib. 6.

§. 7. Plures vero Deos venerati sunt Slavi, solliciti, ut unumquodque suum habeat in rebus mundanis moderatorem (r). Quod commune illis quidem cum Romanis erat, nec hactenus rationi humanae, non luce quidem diviniore radianti contrarium est. Quibus tenebris maxima orbis pars obfuscata adhuc dum, & involuta est. Verum in eo rationem exuere, quod unum omnium Deorum genitorem, & gubernatorem, Idolum illud esse, & certo loco circumscribi posse crediderint. Hoc enim absurdum, & ne homine quidem dignum erat. Quod ulterius illustrarem, nisi fori cancellos, extra quos vagari non licet, intelligerem.

§ 8. Nec vero de eo disquiro hactenus, quem Deorum & Primum & Maximum ab initio statim, ubi idololatria coepit, coluerint Slavi, & venerati sunt (s). Id

p. 154 edit Mader 1668. *Helmsf. Dubravius in Histor. Bohem. pag. 7.*

(r) Illud enim persuadere sibi vix poterant Slavi, tot rebus in, & sub coelo gubernandis unum quendam sufficere. Quare ad sublevandum Deorum laborem plures Deos esse, & Semideorum nomen mereri, quod superioribus Diis subessent, statuerunt. Horum vero, quos plebem Deorum commodius Latini dicunt, quoslibet ad certum, in certa regione officium alligatum à summoque instructum credebant. Quae Ethnicorum mythologia, quantis etiam coloribus poetarum tegatur, nil tamen divini habet, quod non humana consilia sapiat, & apud saniores evilescat. Tota enim Numinum suorum majestas, à regimine politico non multum abhorret. Ibi enim Saturnus, Summus Rex obtrunca-

tur, res publica quasi caelestis in alium, Jovem scilicet, transfertur. qui oppugnatur à malis hominibus, quibus, ut resisteret, convocat ad arma caelicolas &c. & centum alia sunt, quae sine cachinno vix percipit homo diviniore doctrina imbutus. De quibus apud Romanos *Obid. fab. VIII. Metamorph. p. 14. edit. Her. agiana 1543 fol.* Non aliter vero Slavis evenisse, supra docui, ubi summam religiosissimamque idolorum suorum venerationum breviter saltem ostendi: Quot enim regiones Slavi, et idola habuerunt, custodientia illas & conservantia ait *Helmsf. & in eum Bangertus p. 125. & 22.*

(s) Errat in eo *Ditmarus in Chronico Slav. lib. VI. p. 135. edit. Helmsf. ad. 1667 4t.* Luarsici mentionem faciens, ac si ille in terra Rugianorum, seu Ranorum sum-

quidem certum est Svantovitum pro Deo & summo,
& maximo totius universi habitum ab omnibus Sla-
vis fuisse (t). At de origine hujus idoli & natalibus di-
bitare forte, vel judicium saltem suspendere non sine
causa possumus. Audiemus primum illos, qui hic lo-
quuntur scriptores. Celebratissimus eorum, & diligen-
tissimus *Helmoldus est*, ex quo reliqui omnes, uti paulo
inferius in transcurso dicam, sua sumpserunt & exscri-
pserunt. Quare aliter fieri non potest quam ut Helmoldo
errante, omnes quoque, qui eum sequuntur impingant.

§. 9. Is vero origines Svantovici admodum re-
centes facit, ut nesciam, si alia causa intervenerint,
annon discedere ab illo, & paulum aliter sentire recta
ratio, & veritas jubeat. Communis omnium, nec
mala quidem sententia est, quod tempore Ludovici I.
(u). jussu Imperatoris reliquiae S. Viti Diocletiani tem-

B 3

poribus

mus Deorum & maximus fuerit, ab
omnibus gentilibus veneratus. Dupliciter
enim id falsum, nisi Luvaranicum ab omni-
bus, non Slavis, sed Rugianis cultum fu-
isse, intelligere Ditmarum dicamus.
At Luvaranicum hic confudisse cum Radi-
gasto observavit *Joach. Joh. Maderus*.
Helmst ad. PP. in not. ad h. l. de quo tamen
in sequenti differat ulterius dicendi locus
erit.

(t) Nemini id ignotum esse potest,
quippe omnes, quos ego, hac in parte,
vidi, historici hic consentiunt, nec ullus,
uti prolixius infra dicam, praetermisit
hanc rem, sed omnes eodem modo re-
censent.

(u) Carolus M Ludovici I Pater, de Nova
Corbeja in Saxonia extruenda jam ante co-
gitarat, in quo conatu Imperator in Ro-

manam Ecclesiam & auctoritatem Pon-
tificis aequior, cum excessisset, Ludovicus
ante obitum, Imperii haeres ab eo consti-
tutus, a Parenteque ut S. Petri honorem
promoveret strenue, graviter admonit.
Qui paternis virtutibus, si non in aliis, in iis
tamen, quae ad Pontificis potestatem ante
Carolingos admodum exiguum, & tenuem,
augendam pertinerent, insistens, Corbejam
novam in Saxonia extruxit, feliciterque
absolvit. Caeterum Vetus Corbeja in Pic-
cardia ad Samonam fluvium sita, Nova
ad Visurgim in Episcopatu Paderbornensi
effecta est. *Vid. Meibomius Sen. Tom I. re-*
rum German. in Chronico Corbejens. not.
Et in tractatu de translatione S. Viti, &
instit. Corbeja adjecto. p 763. edit. Helm-
st ad. 1687. fol. Crant. in metropol. lib. III.
c. x. addat. Engelhus. Chron. p 163. edit. Ma-

poribus ob fidem Christianam obtruncati, in novam Corbejam in Saxonia, ad veteris Francicæ similitudinem exstructâ, liberalitateq; Imperatoris & munificentia auctam, delatæ & ad movendos Slavorû animos (x) & præparandas ad pietatem mentes asportatæ ex Francia, summa cum solenitate, addo superstitione fuerint (y). Quas cum diu venerati essent Slavi, sumtusque ad cultû S. Viti quotannis præbuisserunt. Cum jugo servitutis tempore Ludovici Germanici (z) religionem quoque excussisse Slavos, ab amore tamen S. Viti non penitus recedentes. Cultum ergo superstitione mutasse. Quod cum comperissent Slavi reliqui, omnes hunc Vitum, mox ab illis Svantovitum dictum, coluisse &

der. In quo de translatione S. Viti sequens leguntur;

Felix Saxonia, gaude, per pignora Sacra Viti ditata, qua dat tibi Franciagrata, &c.

(x) Illud enim tunc præcipuum ad convertendos Ethnicos erat medium, quo cælestem lucem, miraculorum umbra & mendaciis fabulisq; &c. obscurarunt, & tenebris obduxerunt. Quare ut eo feliores monachi in Corbeja nova progressus facerent, & Slavi, gens vicina, sanctitate sua, & devotione invitarentur ad religionem Christianam, & allicerentur. S. Vitum seculi Diocletiani notissimum martyrem, cujus ossa, à Carolo M. ex Italia asportata, in monasterioq; S. Dionysii, in quo hodie Reges Galliæ tumulos suos habent, asservata, in Saxoniam recens conversam transtulerunt, in Corbejaque nova custodierunt & pro more solito coluerunt. Exiverunt postea ut *Helmoldus* ait Pastores gregem animarum sitientes, & non pau-

cos lucrati sunt, ad religionemque veram perduxerunt. *Vid. Meibom. & Helmold. H. cc. Chron. Engelhusii p. 149. edit. Mader. Chronic. Lauterbergens. edit. ejusd. p. 245.*

(y) De multis miraculis in itinere cum ossibus S. Viti gloriantur scriptores, ita, ut singulis itineris hujus partibus, certa affingant. Omnesque, pro ut fortuna S. Vitum, portantibus obviâ facti essent à morbis aut aliis corporis molestiis liberatos, fuisse. In quo diffusus est *Henricus Meibom.* supra citatus, qui hæc omnia ex chronicis antiquis collegit, & prolixè exposuit,

(z) Filiorum Ludovic. fatali discordia omnia in Imperio turbata sunt, quare & Slavi caput antea sub jugum Imperatorum missum, erigebant rursus, & cum jugo servitutis religionem abjiciebant. De quo *Helmoldus Chron. lib. I. c. VII. pag. 23. Saxo Grammaticus hist. Dan. lib. XIV. p. 168. edit. Ascens. Paris. 1514. fol. Joh. Dabrabius hist. Bohem. lib. I. p. 7. edit. Basil. 1575. fol. Aimoinus de gestis Francor, lib. V. c. 26. p. 483. edit.*

arbitrum omnium rerum & regnatorem Idolorum suorum voluisse. Qua in superstitione dudum permansisse Slavos iidem affirmant.

§. 10. Ita speciose quidem Helmoldus & reliqui. At omnia fabulose perscripta esse, non unis argumentis evincam. Omnes enim ex Helmoldo sua habent *aa*) qui tamen nec ipse certum se esse, sed à cæco quodam rumore accepisse confitetur (*bb*). Imo habitus & cultus reliquus Suantovito exhibitus non Romanæ, sed Slavonicæ Ecclesiæ respondens, (*cc*) errasse hic Helmoldum, ut & alibi (*dd*) aperte docet. Omitto illa, quæ rem maxi-

me

Wechel. 1613 fol. ex recentioribus innumeri alit.

(*aa*) Unico ergo Helmoldo erroris & falsitatis convicto omnium quoque reliquorum cadit auctoritas. Qui ita in ejus verba jurarunt, ut facile ex collatione omnium ferme scriptorum, ostendere possemus, fideliter omnia ab uno esse excerpta Helmoldo, nisi id chartæ angustia prohiberet. Sufficiat vero loca in quibus de Suantovito agitur bona fide adduxisse, quæ si benevolus lector evolvat, vel hac in parte nobis assentietur. Primum vero fabula quantum ego quidem scio exstat apud Helmoldum lib. I. c. VI. p. 21. c. LII. p. 125. lib. II. c. XII. p. 234, 235. Ex quo Saxo Grammat. qui non multo post Helmoldum vixit, *Hist. Dan. lib. XII. pag. 108. Abbas Stadeni. chron. pag. 89. ad A. DCCC edit Reinicc. Auctor compilat. Chronol. p. 129. a. Mader. 1665. in 4to. cum Chron. Lauterberg. Helmstadi. editus Engehus. Chron. p. 165. Scriptor. sec. XV. Job. Dabrav. Hist. Bohem. lib. I. p. 7. Recentiores tandem allegare opus non est, nulla enim nisi in his monumentis fundetur, est eorum auctoritas,*

(*bb*) In dubium itaque rem vacantes non Helmoldum, sed fabulam ab ipso Helmoldo sic appellatam, convellimus & confutamus. Nullo enim edoceri potuisse de hac re veterum monumento ipse in ll. cc. confitetur.

(*cc*) Figura certe Idoli & ceremoniarum, & omnia quæ ad cultum Suantoviti pertinent, non S. Viti seu Romanæ Ecclesiæ ritibus verum Slavorum in ordinandis faciendisque sacris consuetudini, usuique respondent quod ex inspectione auctoris facile liquet. Si enim amore S. Viti ut liberatoris sui & vindicis ducti, Svantovitum coluissent, & ceremonias & ritus quibus antea ad auxilia & suppetias exoratus erat S. vitus, retinuissent. Abjicere, vero simulacrum, mutare figuram Idoli, alios ministros & flammines à pristinis diversos constituere, quid aliud est, quam totum cultum evertere, & nihil nisi opinionem relinquere.

(*dd*) Non in his tantum erravit Helmoldus, si quidem errasse dici meretur rem dubitanter & ambigue proponens; Sed etiam in aliorum nominum

poribus ob fidem Christianam obtruncati, in novam Corbejam in Saxonia, ad veteris Francicæ similitudinem exstructâ, liberalitateq; Imperatoris & munificentiâ auctam, delatæ & ad movendos Slavorû animos (x) & præparandas ad pietatem mentes asportatæ ex Francia, summa cum solenitate, addo superstitione fuerint (y). Quas cum diu venerati essent Slavi, sumtusque ad cultû S. Viti quotannis præbuisent. Cum jugo servitutis tempore Ludovici Germanici (z) religionem quoque excussisse Slavos, ab amore tamen S. Viti non penitus recedentes. Cultum ergo superstitione mutasse. Quod cum comperissent Slavi reliqui, omnes hunc Vitum, mox ab illis Svantovitum dictum, coluisse &

der. In quo de translatione S. Viti sequens leguntur;

Felix Saxonia, gaude, per pignora Sacra Viti ditata, qua dat tibi Franciagrata, &c.

(x) Illud enim tunc præcipuum ad convertendos Ethnicos erat medium, quo cælestem lucem, miraculorum umbra & mendaciis fabulisq; &c. obscurarunt, & tenebris obduxerunt. Quare ut eo feliores monachi in Corbeja nova progressus facerent, & Slavi, gens vicina, sanctitate sua, & devotione invitarentur ad religionem Christianam, & allicerentur. S. Vitum seculi Diocletiani notissimum martyrem, cujus ossa, à Carolo M. ex Italia asportata, in monasterioq; S. Dionysii, in quo hodie Reges Galliæ tumulos suos habent, asservata, in Saxoniam recens conversam transtulerunt, in Corbejaque nova custodierunt & pro more solito coluerunt. Exiverunt postea ut *Helmoldus* ait Pastores gregem animarum sitientes, & non pau-

eos lucrati sunt, ad religionemque veram perduxerunt. *Vid. Meibem. & Helmold. II cc. Chron. Engelhusii p. 149. edit. Mader. Chronic. Lauterbergens. edit. ejusd. p. 245.*

(y) De multis miraculis in itinere cum ossibus S. Viti gloriantur scriptores, ita, ut singulis itineris hujus partibus, certa affingant. Omnesque, pro ut fortuna S. Vitum, portantibus obviâ facti essent à morbis aut aliis corporis molestiis liberatos, fuisse. In quo diffusus est *Henricus Meibom.* supra citatus, qui hæc omnia ex chronicis antiquis collegit, & prolixè exposuit.

(z) Filiorum Ludovic. fatali discordia omnia in Imperio turbata sunt, quare & Slavi caput antea sub jugum Imperatorum missum, erigebant rursus, & cum jugo servitutis religionem abjiciebant. De quo *Helmoldus Chron. lib. I. c. VII. pag. 23. Saxo Grammaticus hist. Dan. lib. XIV. p. 168. edit. Ascens. Paris. 1514. fol. Joh. Dubravius hist. Bohem. lib. I. p. 7. edit. Basil. 1575. fol. Aimoinus de gestis Francor. lib. V. c. 26. p. 483. edit.*

arbitrum omnium rerum & regnatorem Idolorum suorum voluisse. Qua in superstitione dudum permansisse Slavos iidem affirmant.

§. 10. Ita speciose quidem Helmoldus & reliqui. At omnia fabulose perscripta esse, non unis argumentis evincam. Omnes enim ex Helmoldo sua habent *aa*) qui tamen nec ipse certum se esse, sed à cæco quodam rumore accepisse confitetur (*bb*). Imo habitus & cultus reliquus Suantovito exhibitus non Romanæ, sed Slavonicæ Ecclesiæ respondens, (*cc*) errasse hic Helmoldum, ut & alibi (*dd*) aperte docet. Omitto illa, quæ rem maxi-

me

Wechel. 1613 fol. ex recentioribus innumeri alit.

(*aa*) Unico ergo Helmoldo erroris & falsitatis convicto omnium quoque reliquorum cadit auctoritas. Qui ita in ejus verba jurarunt, ut facile ex collatione omnium ferme scriptorum, ostendere possemus, fideliter omnia ab uno esse exscripta Helmoldo, nisi id chartæ angustia prohiberet. Sufficiat vero loca in quibus de Suantovito agitur bona fide adduxisse, quæ si benevolus lector evolvat, vel hac in parte nobis assentietur. Primum vero fabula quantum ego quidem scio exstat *apud Helmoldum lib. I. c. VI. p. 21. c. LII. p. 125. lib. II. c. XII. p. 234, 235.* Ex quo *Saxo Grammat.* qui non multo post Helmoldum vixit, *Hist. Dan. lib. XII II. pag. 108. Abbas Stadeni. chron. pag. 89. ad A. DCCC edit Reincc. Auctor compilat. Chronol. p. 129. a. Mader. 1665. in 4to. cum Chron. Lauterberg. Helmsfud. editus Engehus. Chron. p. 165. Scriptor. sec. XV. Job. Dabrav. Hist. Bohem. lib. I. p. 7.* Recentiores tandem allegare opus non est, nulla enim nisi in his monumentis fundetur, est eorum auctoritas.

(*bb*) In dubium itaque rem vacantes non Helmoldum, sed fabulam ab ipso Helmoldo sic appellatam, convellimus & confutamus. Nullo enim edoceri potuisse de hac re veterum monumento ipse in ll. cc. confitetur.

(*cc*) Figura certe Idoli & ceremoniarum, & omnia quæ ad cultum Suantoviti pertinent, non S. Viti seu Romanæ Ecclesiæ ritibus verum Slavorum in ordinandis faciendisque sacris consuetudini, usuique respondent quod ex inspectione auctoris facile liquet. Si enim amore S. Viti ut liberatoris sui & vindicis ducti, Svantovitum coluissent, & ceremonias & ritus quibus antea ad auxilia & suppetias exoratus erat S. vitus, retinuissent. Abjicere, vero simulacrum, mutare figuram Idoli, alios ministros & flammines à pristinis diversos constituere, quid aliud est, quam totum cultum evertere, & nihil nisi opinionem relinquere.

(*dd*) Non in his tantum erravit Helmoldus, si quidem errasse dici meretur rem dubitanter & ambigue proponens; Sed etiam in aliorum nominum

me omniū suspectam reddunt, quod scilicet implacabili odio Christianos & sanctos suos persecuti fuerint Slavi, (ee) unde eorum sacra amplexos fuisse non credibile est. Cæterum ipsa vox non sanctum Vitum, uti gloriantur adversarii, sed ^{Slavum} ~~sanctum~~ denotat Slavis, nec ergo hic, quod arripiant, ipsis relinquitur (ff).

originibus evolvendis infelix fuit. Gravem sane errorem de maris Baltici etymō animadverterunt in eo jam olim docti vid. Crant. Vandal. lib. II. c. 17. p. 36. & Bangertus in Helmol loc. p. statim 3.

(ee) Licet enim hanc rem cum Rugianis accidisse de S Vito concedamus, quomodo error, tam brevi tempore creverit, à minimaqve Slavorum parte in universam eorum multitudinem transierit animo comprehendere nō possum. Cōstat enim vatinianū contra Christianos odium: scimus necesse & cruciatus quibus Christianam religionem opprimere, & extinguere sanctorum memoriam conati fuerunt, Lucos, & si alia loca sacra habebant pollui Christianorum accessu crediderunt. Et quantopere bone Deus detestati sunt Slavi Christum, & Ecclesiam suam, si servire ei vi & armis adactis necessum fuit. Fabulam ergo esse, quod non sponte solum amplexi fuerint Christianorum S. Vitum; sed & omnium Deorum maximum, & summum, omniumq; reliquorum regnatorē crediderint & venerati sint Slavi, facile liquet. Sanguine quidem Humano gaudere Deos suos & piari legimus, amore in Christum Ecce-

siam Romanam aut ejusdem Sanctos duetos fuisse Slavos, nullibi compertum habemus.

(ff) In scriptura Historicos non convenire, adeo inusitatum non est. Condonatur id seculis barbaris, dicit Cl. Reineccius in Abbat. Stadens. Præfat. Hic vero varia lectio rem admodum suspectam reddit. Sbbantobitus veteres omnes legunt. Recentiores Dubravius, Engelhusius, & alii quos supra laudavi. Svantovitus scribunt. Melius quidem hi illis, quanquam non rectius. Svantovitus enim ne in somnio quidem Slavonice S. Vitus audit. Viderunt hoc recentiores, & Svanatobitum scripserunt quod quidē propius ad Linguam accedit, nil tamen nisi verborum lusum paulo faciliore meretur. Certe quidem Slavis Sanctus est, sed ubi manet veterum auctoritas? Engelhusius & Dubravius recentiores sunt, & nihil hic probare queūt. Verior nostra est derivatio, & probabilior, & in veterum monumenta æquior, quam nunc evolveremus, nisi, ut sequenti dissertationi reservetur negotium, propositum nos admoneret,



G. K. 154, 28.

X 136

DISSERTATION
P...

IDC

SLAV

PR
M. JOHANN
LUDWIG

MICHAEL

Budi...

D...

An.

Horis...

In Auditorio

WIT

Typis MAR

